



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod non omne peccatum est pœna peccati. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

peccatum, sed pœna peccati est: quia iusto iudicio Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedētis peccati merito etiam in alia eadat. Quem n. liberare noluit, deserendo percussit. Proinde vt Aug. ait, Præcedentis est hæc pœna peccati, & tamē etiam ipsa peccatum est. Iudicio n. iustissimi Dei traditi sunt, vt ait Apost. de quibusdam, siue deserendo, siue alio modo explicabili, siue inexplicabili, in pafsiones ignominie: vt crimina criminib. vindicarentur, & supplicia peccantium nō tantum sint tormenta, sed vitiorum incremēta. Illa ergo peccata quæ enumerat Apostolus, q̄a de superbia sūt, non solum peccata sed etiam supplicia sunt: Ecce ex his iam fit p̄spicuum quædam peccata etiā pœnas & causas peccati esse: & illud peccatū esse penā peccati, quod causam præcedentem habet peccatum: atque illud peccatum esse causam peccati, q̄ est meritum sequentis culpæ.

Ex prædictis videtur significari ipsa eadem quæ peccata sunt, esse & pœnas peccati. C

Sed cum ait crimina criminibus vindicari, videtur insinuare ea ipsa quæ peccata sunt, essentialiter esse pœnas peccati, i. punctiones peccati. Ad hoc autem inquirunt illi hæc & similia dicta esse secundum rationē prædictam: & ideo intelligenda fore secundum p̄missam oppositionem. Intelligentia n. dictorum ex causis est assumenda dicendi.

Quod non obuiat veritati si quis dicat ipsa peccata, esse pœnas peccati essentialiter. E

In nullo tamen præiudicium factum veritati putatur, si quis dicat ipsa eadē quæ peccata sunt essentialiter, vt ita dicā esse pœnas, i. punctiones peccatorū præcedētium, quæ iustæ sunt & à Deo sunt: Nec tñ in quātum peccata, à Deo sunt: nec in quātum peccata sunt, pœnæ peccati sunt: & tñ in quātum peccata sūt, priuationes boni sunt, sed vt supra dictū est, causaliter & actiue dicuntur priuationes.

Aperte

*Aug. contra
Iulianum.
li. 5. ca. 3.
ante mediū
10.7.*

*Ibid. paulo
superius.*